

BARTHOLOMÆI

Pitisci Grunbergensis

TRIGONOMETRIÆ

LIBER QUINTUS.

*De compendiis & varietatibus calculi
Trigonometrici.*

Superioribus quatuor libris necessaria Trigonometriæ præcepta persecuti sumus. Quinto hoc, & postremo libro, de compendiis & varietatibus calculi Trigonometrici quædam trademus: quæ, etsi necessaria non sunt: usum tamen habent in Trigonometria perjucundum.

*Compendia calculi Trigonometrici præcipua
sex sunt.*

COMPENDIUM PRIMUM.

*In regula proportionum: in qua semper debent esse tres termini
dati:*

*Si primo loco sit radius, secundo & tertio sinus, & multiplicationem
& divisionem evitare.*

REGULA. Pro duobus præter radium datis sinibus: sume arcuum sinibus istis respondentium complementa: & habebis triangulum sphæricum rectangulum, quarto Triangulo-

T 3 rum